

Eleuterius Graecus ann. XV mens. VI dies V, sepultus in Vaticana.

Iste constituit, ut nulla esca repudiaretur a Christianis, quando humana sit et rationalis. Anno CLXXXIV indict. VII.

Victor Afer ann. X mens. II dies X, sepultus in Vaticano. Iste constituit, ut sanctum pascha die dominico celebraretur et pro necessitate ubique baptizandum. Anno CXCIX indict. VII.

Zephyrinus Romanus ann. XVII mens. II dies X, sepultus in via Appia. Iste constituit, ut praesentibus fidelibus clericis et laicis diaconus vel presbyter ordinetur, et si aliqua querela vel accusatio fuerit, tunc dicatur: post consecrationem enim non licet. Anno....

Calistus Romanus ann. V mens. II dies X, sepultus in via Aurelia. Iste constituit ieiunium die sabbati iter in anno fieri pro abundantia frumenti, vini et olei secundum prophetam, et ut nullus eudeat deviare a regulis ecclesiae Romanae. Anno CCXVIII indict. XI.

Urbanus Romanus ann. VIII mens. XI dies XII, sepultus in via Numentana. Iste constituit, ut quicumque episcoporum, presbyterorum vel diaconorum praedium ecclesiae magnum vel exiguum vendere, donare vel alienare tentaverit ab omni officio deponatur ut sacrilegus. Anno CCXXVI indict. XIV.